

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Hermann Heltberg Benedikt Meier

## **Exercitationum Logicarum II. De Divisione Logicae**

Rostochii: Myliandrus, 1609

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729080110>

Druck Freier  Zugang





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn729080110/phys\\_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729080110/phys_0001)

DFG

5R

R. U. phil. 1609. 10.

12 ggl.

35 1717





*Annuente & Benedicente Domino*  
Exercitationum Logicarum

*II.*

# DE DIVISIONE LOGICÆ.

*Quam*  
*In iuxta Rostochiensium Academias*  
*SUB PRESIDIO*  
**M. HERMANNI HELTBERGII**  
*Walsrodâ Lunæburgici.*

Tuebitur  
**BENEDICTVS MEIERVS Garding.**  
*Eidorastadianus.*

Ad diem XVI. Decemb. Hora  
& loco consuetis.



ROSTOCHII,

*Typis Stephani Myliandri, Anno cœl. I. IX.*

Reverendis, Clarissimis, Pietate, doctrinaq;  
præstantissimis Viris,

Dn. M. ANTONIO HERTZBERGIO,  
&

DN. STEPHANO KHVNIO,  
Divini verbi ad D. Nicolaum apud VViſ  
marienses ministris vigilan-  
tissimis.

NEC NON

Clarissimo, Humanissimo & Doctissimo Viro,

DN. M. SAMUEL GERVESIO,  
Scholæ ibidem celebris, Rectori dignissimo, affini,  
& olim Præceptorí suo plurimum  
venerando.

Dominis, Mecenatibus, Patronis, Fautorib;  
& Promotoribus suis omnibus & singulis benè de se  
meritis, has philosophicæ exercitiū primitias

D. D. D.

BENEDICTUS MEIERUS  
Gard. Eidorastad.

92 26

## Proœmium.



Uia ad exactam alicujus disciplinæ cognitionem acquirendam, non sufficit, quidnam vel qualis ea sit, sed insuper etiā quotuplex & quot partes ejusdem sint, scire. Quare qui in proximâ disputatione, Definitionem, Genus, objectum & finem Logicæ sumus contemplati, jam & in præsenti disputatione, quotuplex & quænam partes ejusdem sint, perspiciemus. Non autem novam & haec tenus inauditam, ut vulgo fieri solet, Logicæ divisionem afferemus, sed vulgarem illam & à plerisque Peripateticis receptam divisionem, quæ nobis omnium optima & veritati & Aristoteli magis videtur consentanea, retinebimus. Hæc enim ut veriusissima, ita etiam verissima, & omnibus alijs in Rami vel aliorum cerebro natis divisionibus, antieferenda, est.

divisio

## Theorema Primum.

Logica dividitur in duas partes, communem seu formalem, & propriam seu materialem. *Crett: lib. I. fol. 13.*

I. Cum ad syllogismum, quem in proximè precedenti disputatione finem Logicæ internum fecimus, omnia ea qua in Logicis traduntur, tendant, atq; adeò à Syllogismo totius Logicæ pendeat essentia, ut apud Peripateticos videre est: ideo etiam cum ipsisdem Logicam ratione syllogismi dividere & parti volumus.

Prinus F:inis  
interno Synthys  
alter F: Externus,  
veritas.

II. Quia autem syllogismus dupli respectu potest considerari, primò nudè & simpliciter & in sola forma, seu quat: tantum re-

A 2 spici-

Ipsicimus nudam terminorum dispositionem, ita ut major terminus sit positus in majore propositione, & in eadem prædicetur, & deinde fiat prædicatum in conclusione: minor verò ponatur & subiiciatur in minore propositione & deinde fiat subjectum in conclusione: item ut major propositiō semper sit universalis, minor verò semper affirmativa, & nunquam negativa, in primā figura: Item ut medius terminus sit prædicatum in majore & minore propositione: major terminus subjectum in majore propositione, & prædicatum, deinde in conclusione: minor subjectum in assumptione & conclusione: item ut medius terminus sit subjectum in majore & minore propositione, major prædicatum in majore, & deinde prædicatum in conclusione, minor prædicatum in assumptione & subjectum deinde in conclusione, & his similia, nullo tamē habito respectu, ad hanc vel ad illam materiam sive contingentem sive necessariam.

III. Secundò potest syllogismus considerari quat: certa alicui materia vel necessaria, vel contingenti immersus est, hoc est quat: in syllogismo structura & coherentia terminorum vel contingentium vel necessariorum, pro materia, contingenti & necessaria, spectatur. Atq; ex his duobus respectibus & conditionibus syllogismi, formaliter videlicet & materiali, dua etiam oriuntur Logica partes. . E. Litterum est, primum agere de forma, quā de materia sit autem. qā ex form non verò ex materia circa prām sit in parte Epriam. Theorema Secundum.

Pars Logicæ communis seu formalis est, quæ de syllogismo nudè & simpliciter, nullo habito respectu ad aliquam materiam, ut tamē cuivis materiæ accommodari potest, agit.

In pro-

I. In proximo theoremate fundementum divisionis nostra Aristotelica posuimus, in praesenti ergo quid pars ejusdem communis seu formalis sit, erit videndum. Non possumus autem convenientius & melius hujus communis Logicae partis naturam, & theorematis nostri veritatem explicare & demonstrare, quam ut ipsius syllogismi principia, ex quibus componatur, & quis ordo, qua convenientia & coherentia in his sit, declaremus, & vobis indicemus.

II. Primò enim agitur in hujus partis initio de terminis simplicibus, & quid & quotuplices iij sunt declaratur, deinde à simplicium terminorum doctrina, ad ipsarum Enunciationum tractationem, ubi primò quid sit enunciatio & qua ejusdem species sunt videmus, & ab his tandem ad ipsum syllogismum tanquam principiatum quoddam ex his simplicioribus & prioribus compositum progredimur, ubi primo justam terminorum ut in superiori theoremate dictum in sola forma coherentiam, deinde quot figurae syllogismorum, & quotnam argumentationum species sint, contemplamur.

III. Possumus etiam hujus partis evidentiam exemplo alterius alicujus disciplinæ aliquo modo adumbrare. Quemadmodum enim Physica in corpore naturali cognoscendo primò ab ipsis corporis naturalis principijs, ut materia & forma &c. & deinde ad ipsum corpus naturale ejusdem species progreditur: ita etiam Logica primò à syllogismi principijs, nim: à simplicium terminorum & enunciationum doctrina, ad ipsum syllogismum tanquam ex his principijs compositum, procedit. & formaliter sumptum

Eo ordine quo  
physica ita Logi-  
ca & predicta

### Theorema Tertium.

Pars communis tribus tractatibus, primo  
de simplicibus terminis, altero de Enuncia-

Pars communis  
simpliciter absolu-  
bitur

A. 3. tioni-

tionibus, tertio de structurâ syllogistica, absolvî potest

I. Quemadmodum natura ordinis semper est observantissima, & à confusione abhorret, & quilibet certo & justo ordine, modo & via convenienti fieri & constitui desiderat: ita etiam Aristoteles qui naturæ venator est exquisitus, non confusè & sine ordine, organon suum Logicum, sed justo & convenienti ordine exornatum, nobis relinquere voluit.

II. Primo enim in libris de interpretatione egit de simplicibus terminis sub ratione nominis & verbi, ubi primo quid sit nomen, nimirum: quod sit vox significans ex instituto sine tempore cuius nulla pars significat separatim, & deinde quid sit verbum nimirum: quod sit vox significans aliquid cum tempore cuius nulla pars seorsim est significativa, & semper signum eorum qua dicuntur, dixit, & deinde quotuplex horum quodlibet sit declaravit. His absolutis ad enunciationum doctrinam que ex his nimirum nomine & verbo tanquam principijs constat immediate progeditur; ubi primò quid enunciatio, quanam ejusdem partes, & quotuplex sit, deinde quid propositio universalis, quid particularis, quid negativa, quid affirmativa, quid vera, quid falsa, item quid oppositio, quid conversio enunciationum sit, monstrat & declarat.

*Quibus perfectis & declaratis ad ipsam structuram syllogisticam in libris duobus priorum analyticorum procedit, ubi quid sit syllogismus, quanam ejusdem partes, quanam imperfecta argumentationes, quanam syllogismi accidentia, & alia ad syllogismum spectantia, proponit & docet. Atq[ue] h[ic] partem Logicae ~~summa~~ <sup>g[eneris]</sup> <sup>g[eneris]</sup> que de forma syllogismi tantum agit, absolvit & finit.*

III. Quis autem in his ordinem & convenientiam summam esse nisi insanus negabit. Cum enim syllogismus in forma consideratus ad hanc partem perireat, syllogismus autem

*ex enun-*

ex enunciationibus, enunciations deinde ex simplicibus terminis seu nomine ex verbo componantur: ideo recte Aristoteles à simplicium terminorum doctrinâ ad Enunciations & ab Enunciationibus ad syllogismum est progressus.

IV. Sed posset quis forsan dubitare & querere quorsum nos doctrinam de Prädicamentis vellemus translatam, cum prädicamentorum doctrina ab Aristotele in Logicis sit tradita & proposita. Illi ad eximendum hoc dubium respondemus, nos prädicamentorum doctrinam Logica partem non essentialē, sed faltem Proœmīum ejusdem eadem esse, afferere. Quemadmodum enim quilibet artifex ut alias dictum, in non-Ente operari non potest, sed necessariō aliquod subjectum, & aliqualem ejusdem cognitionem requirit: ita etiam Logicus, qui in hoc artifici alicue est similis, rerum, quibus notiones suas impone-re debet, cognitionem tantam quanta sufficit, ad finem suum consequendum, appetit & postulat. His bene ponderatis, quis ordo Aristotelis in his sit & quam bonus & conveniens, nemini erit obscurum, sed quilibet cui veritas saltem cura & cordi est, in hoc cum Aristotele consentire, & ipsius ordinem & institutum admirari & approbare cogitur.

objectiv

Ratio.

### Theorema Quarsum.

Pars Logice propria seu materialis est, quæ syllogismum in parte communi consideratum, ad certam aliquam materiam accommodare nos docet.

I. Expositis ijs quæ ad partem communem seu formalem Logice pertinere videntur, jam ad ipsam partem materialem, ordinis ratione hoc ipsum exigente, nos convertimus. Dicimus autem

# sed termini  
f mā ex qua

Physicam  
optimis

Matis tripli  
citer dividit.

autem in theoremate nostro, quod certe alicui materiae syllogismus in hac parte applicetur, ut hac ratione à parte communis seu formalis, que ipsum syllogismum undē tantum & simpliciter, nullo habito respectu ad hanc vel illam materiam, contemplatur, distinguatur. Posset enim quis nobis hac ratione obijcere, quod non poneremus partes in nostra divisione à se invicem distinctas, quia in utrāq; agatur de syllogismo. Nec volumus hoc hac ratione hic indicatum, ut hæc pars propria seu materialis Logice, agat de ipsis rebus, ut de corporibus naturalibus, de affectionibus ejusdem & principijs, alijsq; ad hanc rem spectantibus, que omnia non ad Logicam, sed ad suas referenda sunt disciplinas, sed saltē ut monstret modum, quo termini inter se convenient & cohærent.

### Theorema Quintum.

Pars propria seu materialis Logice, in tres tractatus, primum qui de materia necessaria, secundum qui de materia contingentia, & tertium qui de materia fallax agit, dividit potest.

I. Quemadmodum Aristoteles suam industriam & indolem in priori Logices parte de formalis syllogismi structurā agente, nobis probavit, ita etiam eandem in hac materiali parte monstrat & declarat. Nam cum res quibus syllogismus debet applicari in triplici potissimum differentia sint: vel enim necessaria, vel contingentes, vel planè false sunt: ideo etiam Aristoteles tractatum seu partem Logice de materia agentem in tres distinctas classes pro triplici rerum differentia distinxit. Primo enim ma-

teria

teria necessaria duos libros posteriorum analyticorum attribuit, ubi de Demonstratione, quid ea sit, quo habeat requisita & species, & hujus generis alia pertractat. <sup>2</sup> De materia deinde contingentis seu probabili octo libris topicorum agit, ubi omnia ad hanc rem spectantia explicat & exponit. <sup>3</sup> Atq; his absolutis, tandem de materia falsa seu sophistificationibus in libris duobus, qui de Sophisticis Elenchis vulgo inscribuntur agit, ubi primo, quoupliciter fallacia alicui syllogismo, vel in formâ vel in materia, infit, proponit, & tandem modum has fallacias dissolvendi monstrat & tradit. Atq; ita partem materialem duodecim libris, in quibus ea omnia que vel ad materiam necessariam, vel contingentem & falsam pertinent & requiruntur, pertractat & absolvit. Atq; hec totius Logica secundum mentem Aristotelis & plerosq; ejusdem interpretes, delineatio & declaratio brevis esto.

I  
in libris <sup>2</sup> posteris  
orū <sup>3</sup> Analyticis  
rum Atq; Socratis  
Demonstrationem.  
<sup>2</sup> in 8 libris Topicis  
corum contingentia  
3. scil:

## Corollaria.

### I.

An Logica divisio Ramis sit bona? N.

### II.

An doctrina predicamentorum sit pars  
essentialis Logica? N.

### III.

An tractatio de Sophisticis Elenchis sit  
Logica essentialis?

B

An

*I V.*

*An Rami authoritas in Philosophia sit  
spectanda?*

*V.*

*An Ramai jure ex Logica reijciant  
Pradicamenta? N.*

*VI.*

*An Pradicamenta semper unam, ean-  
demq; retineant significationem? N.*

*VII.*

*An detur Demonstratio? Affirm. con-  
tra Pet.*

*VIII.*

*An Logica partibus Philosophia annu-  
meranda sit? N.*



*D N.*



# Dn. Benedicto Mejero

Eydorast.

I V V E N I

Quà eruditionem qua mores policiissimo,  
Sympatriota, Convictori & amico suo  
singulari.

**E**sse quid hoc dicam, subito sententia casu  
Mutarit mentem quod BENEDICTE  
tuam?  
Nuper ARISTOTELIS & docti scripta PHILIPPI  
Fastidita alto scripta supercilios  
Despiciens, RAMI consperitis felle pagellis  
Hærebas hederis artius arboreis:  
Nunc dare vela retrò, cursusq; iterare relictos  
Incipis, & recto tramite tendis iter.  
An te collaudem, an levitatis crimine damnem?  
Non damno, dignum judico laude magis:  
Dia Stagiritæ vigili dum scripta labore  
Perlustras, eadem discis & <sup>opponens.</sup>  
Hoc studio pergens vafri BENEDICTE Sophistæ  
Affanias vites, & benedictus eris.

Gaspar Hatkenius Eydorast.

Aliud

## Aliud.

Ornatissimo & humanissimo Dn. Respondenti,  
Contubernali suo & amico charissimo.

UT FERRIUM patitur furtim ferrugine tangi,

Si non illius cottidie usus erit;

Ucq; sibi patitur fuscari saepe nitorem,

Qui lima & prunis post revocandus erit:

Sic etiam INGENIUM mox rerum oblivio tangit,

Quando exercitijs non poliatur idem.

Hoc, BENEDICTE, satis cerno te cernere; quando  
Talibus exerces ausibus Ingenium.

Dignus laude tuus conatus, dignus & ipse es

Laude, hoc si posthac continuare placet.


Sic BENEDICTE ubi BENE DICTI convenit ille,  
Quem merito titulum te tueare decet.

L. M. Q. posuit

Christianus Ludemann. Hamb.











306. sect. 20. in hæc verba erumpens: Omne quum principium, aut à primo principio. Unia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia ruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; natura: nunquam vero corruptitur; nunquam immortalitate Deus ipsum donavit.

### Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem dñe licet. Nam 1. Angelus tantum, & aingunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se possunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

### Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se in corpore, sed semper extra corpore.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore, sed semper extra corpore. per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant bona est. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi co-

359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora nunt, & natura eorum non est, corporibus v

formare, meritò per se ab omni corporis unione.

II. Sunt vero Angeli in duplice differenza boni: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essens, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur.

Quicquid autem à Deo creatum est, bonum

A 3



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. 44